

DCCLXX.

589 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 220. 4. a Variis conscriptus et pro Conventu *Wien*. Ord. FF. Praed. emtus a. 1445. sequentia complectitur: I. *Sermonem*, qui inscribitur ad clerum male viventem in *sehiuus*. In Concilio *Constant.* aut *Basil.* habitum putem. Thema: *Ecce nunc tempus &c. II. ad Cor. VI°.* Initium: *Et in epistola hodierna Reuerendi ac preclari viri ut in cordibus vestris imprimantur que dicenda sunt de presentis temporis malicia &c.* Dicitur igitur *Dominica I. Quadrage.* agit de duobus temporibus: primo tempore, in quo laicus debet inquinari, secundo tempore, in quo clericus debet flagellari, cui per decurfum et ipse non pauca flagella admittitur. Autor neque huius, neque sequentis *Sermonis* proditur, qui inscribitur

II. fol. 9. *Sermo ad pastores ut vigilant super gregem.* Et incipit: *Hora est iam nos de sompno surgere. Ad Ro. XIII°.* hec uerba originaliter scribuntur et in epistola hodierna recitatur *Reuerendissimi insignesque Domini, ut in hac hora mens somnolenta per uerbum dei excitetur &c.* *Habitus ergo Dom. I. Advent.* urget vigilandum *Pastoribus sacris: primo propter regem venientem cui habemus occurrere, secundo propter gregem patientem cui debemus succurrere.*

III. fol. 13. *Admonitio gravissima Regni, ut videtur, nomine ad Principem quendam facta, quae incipit: Serenissime ac chri-*

stianissime princeps Attendentes vestri humiles oratores terribiles et repentinas puniciones quas frequenter exequitur deus in personis Regum qui sunt ad iusticiam faciendam negligentes &c. *Motos se dicunt et perterritos propter periculum grauissimum quod vidimus persone Vestre Regie imminere, item, quod pene non est visum a seculo seu auditum in aliquo christianismo tam horribiliter nomen dei blasphemari, nec ipsum deum in sacramentis et mandatis suis tantum vilipendi et contempni ut in violacione ecclesiarum conculcatione sacre eucharistie et omnium Sacramentorum sedacione, atque in stupro virginum et viduarum coniugumque oppressione nec non Infancium paruulorum usque ad necem duris cruciatibus in conspectu parentum ac cuiusque patris uel matris familias tortura &c.* His igitur succedunt *Postulata*, quae indicabo: Ut *Princeps* ad expedienda negotia se mature lecto eripiat, ut prius *Officium* seu *Preces* persolvat, et dein *Missam* audiat, ut *Sacerdotes* proprios et *Capellam* habeat, ut saltem semel in mense conscientiam expurget, ut *Christi Vicario* reverentiam exhibeat, ut *Edictum* contra *Blasphematores* promulget, ut *Praelatos* non instituat ignorantes et pravos, ut nullum *Ecclesiasticum* ad se admittat nisi habitu conveniente indutum, ut *Officiales* suos urgeat ad puniendos *Raptos* publicos, ut diem in hebdomade statuatur ad audiendas *Pauperum supplicationes*, ut *Schismaticos, Haereticos* aut de
Fide

Fide suspectos in domo sua non teneat, ut libenter audiat veritatem, ut diebus consuetis verbum Dei audiat, ut diebus festis non toleret nundinas et opera servilia, ut expensas suas solvat; ut non exaltet et promoveat indignos, ut non ferat exactiones et rapinas pecuniae publicae, ut nolit in omnibus sequi suam opinionem, ut comprimat luxum in vestitu maxime Feminarum in elatione comarum et protrahendo caudarum, permoveatque preclarissimam consortem reginam ad exemplum dandum, demum, ut elemosynas pauperibus ordinatas non retineat aut in alios usus convertat. *Postulata* haec XX. graviter inculcantur et ubertim S. Scripturae effatis firmantur. Ad quam porro Aulam pertineant, penultimo demum *Postulato* proditur, ubi Oratores ajunt: *Quare verisimile est, quod deus erga regnum francie omnino non placabitur, nisi auferantur de populo isti deformes et monstruosi habitus mulierum bestiales potius quam humani.* At vero cui Regi isthaec dicta fuisse putemus? Si quid video, *Carolus* is est IV. sive *Pulcher*, cujus tempore et Provincias ab *Anglis* vastatas, et maximam Quaestorum rapacitatem, et enormem Feminarum luxum fuisse produnt Historici. Et quid hodie in *Gallia*?

IV. fol. 19. Conclusiones quaedam Theologicae; praesertim una in favorem *Lolbardorum*, *Begbardorum* et *Beguinarum* propugnata *Basileae* 1404. per fratrem *Rudolfum Buchsman* O. M. lecto-

Denis Codd. Theol. V. I. P. III:

rem *Domus Basl.* et refutata ibidem 1405. per fratrem *Johannem mulbeck* O. P. domus *Basl.*

V. fol. 43. *Eugenii IV.* Bulla, qua dissolvit Synodum *Basileensem*, aliamque indicit *Bononiae*. Incipit: *Quoniam alto et incomprehensibili domino &c.* Finit: *Datum Rome apud Sanctum Petrum XV kalendas Januarij Anno Primo.* In Collect. Venet. Concc. Labb. T. XVII. col. 733.

VI. fol. 46. *Basileensium* Literae ad omnes Fideles, quibus significant, se *Basileae* perstituros. Incipiunt: *Zelus domus dei quae est ecclesia &c.* Finiunt: *Datum Basilee XXI. Januarij Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo Pontificatus ejusdem domini nostri pape Eugenij Quarti Anno Primo.* In Collect. cit. col. 446.

VII. fol. 47. p. 2. Eorundem Literae ad *Leonardum* (de *Laying*) Ep. *Pataviensem*. Initium: *Mirari satis non sufficimus Reuerende pater cur gressus vestros ad hoc presens generale Concilium nondum direxistis &c.* Ad calcem: *Datum Basilee die XXVI^o mensis Januarij Anno a Natiuitate domini Millesimo quadringentesimo Tricesimo secundo.* In Collect. cit. col. 245. habentur hae Literae inscriptae *Episcopo Noviomensis*, unde liquet generali formula usos *Basileenses* ad omnes Episcopos, qui iis se adjungere cunctabantur, quemadmodum et Universitatem *Vienn.* evocatam hoc anno fuisse, testis est *Conspectus Historiae* ejus P. 1. p. 136.

X

VIII.

VIII. fol. 48. p. 2. *Rorundem Literae ad omnes Christi Fideles. Initium: Sacra Synodus in spiritu sancto apud Basileam canonice congregata Presidente — Juliano &c. Veritatis magister ymmo ipsa ecclesia et incommutabilis veritas dominus noster ihesus christus &c. Hortantur, ut in fide Catholica firmiter persistant, ab Haereticis caveant, eorum Scripta non legant, sed clausa ad Concilium mittant. Absunt Notae temporis, neque Literae hae aut apud Labbeum, aut apud Mansum leguntur.*

IX. fol. 52. *Eugenii IV. Literae ad Sigismundum Imp. de Dissolutione Concilii Basl. Initium: Eugenius servus &c. Cum pastoralis officio cui disponente domino presidemus &c. Datum Rome — Millesimo Quadringentesimo Tricesimo primo XV kal. Januarij Pontificatus nostri Anno primo. In Collect. suprac. col. 736. et in Concc. Harduini. T. VIII. p. 1581.*

X. fol. 53. *Sigismundi Imp. Literae ad Basileenses, ne Concilium solvi patiantur. Initium: Reuerendissimi &c. Hodie recepimus Bullam domini nostri pape &c. Datum Placencie die decima Januarij Regnorum nostrorum Anno Hungarie XLV. Roman. XXII. et Bohemie XII. Subscriptus Caspar Sligk, notus ille Aeneae Silvii Euryalus. Extant in Mansii Supplem. T. IV. col. 241.*

XI. fol. 54. *Ejusdem Literae ad Eugenium IV. de eodem Negotio. Initium: Beatissime pater*

&c. Hodie recepimus Bullam Vestre Sanctitatis &c. Datum placencie die Nona Mensis Januarij &c. ut supra. In Collect. Labb. col. 752. Hard. T. VIII. p. 1596. Dies, ut vides, discrepant.

XII. fol. 55. *Ausfamenta ad dominum Summum pontificem ex parte domini Roman. &c. Regis super facto Basilien. Concilij. Initium: Primo quemadmodum vestra Sanctitas in Bulla nobis transmissa notificat &c. Videntur adjecta fuisse praecedentibus Literis, et extant apud Labb. col. 753. et Hard. p. 1597.*

XIII. fol. 61. p. 2. *Scriptum, ut e calce praeoccupo, ex parte aliquorum in sacra pagina doctorum catholicorum. Initium: Universis christi fidelibus Regibus ducibus principibus &c. Curandum summo-pere et tota vigilancia considerandum est, quomodo et qui non sapient sapiant et qui sapient non desipiant &c. Dirigitur contra Libellum scandalosum, ut dicitur, transmissum principibus quibusdam et communitatibus ex parte perditionis filiorum Procopij Smabors Korande Sanisz Smolich capitaneorum Bobemorum et aliorum complicum hereticorum, et impugnat notos illos IV. Articulos magna vehementia. In fine subjicitur: Hec scripta sunt ut credatis et ut credentes vitam eternam habeatis. Anno domini M^o CCCC^o Tricesimo. Nescio, an alicubi editum.*

XIV. fol. 73. *Excerpta quaedam e Iure Canonico.*

XV. fol. 85. Excerpta e Potillis Nicolai de Lira in Isaiam et Tractatu contra Judaeos.

XVI. fol. 95. In nomine sancte et individue Trinitatis patris et filij et spiritus sancti. Hij sunt articuli contra fratrem Bernardinum de ordine minorum inuentorem noui characteris nominis buius ihesus. Hos Articulos numero XV. neque Bollandistae, qui ad diem 20. Maji varias Bernardini Albizesci Massani, sed dicti Senensis O. M. Βιουγαφιας produxere, neque Waddingus, qui T. X. et XI. Annal. O. M. Viri facta percenset, prae manibus habuisse videntur. Originem novi hujus Characteris ad Bononiam refert Sigonius L. IV. de Episcopis Bonon. et ex eo Waddingus T. X. edit. Rom. 1734. p. 71. f. ubi, cum Tabularum lusoriarum, quas pro concione vehementer damnauerat Bernardinus, artifex ad eum accedens omnem alendae familiae quaestum hac ratione sibi perire caussaretur, Bernardinus, ut est in Vita ms. apud Bollandist. T. V. Maji p. 307. Dabo tibi sanum Consilium, intulit, et accipiens circinum fecit circulum rotundum, in quo solem pinxit, et in medio solis nomen Jesus descripsit — et querelanti dixit carpentori, ut tales figuras de cetero faceret. Qui magister — majorem quaestum quam prius acquisiuit. Hunc porro cultum dum noster per alias etiam Italiae Urbes, quas sacris praedicationibus obibat, propagaret, novitatis species, ut fit, arrexit animos, malevolosque, perpetuos

illos Famae comites, in Autorem concitavit. Atque hinc Accusationis nostrae Capita, quorum initium: Frater Bernbardinus de ordine minorum a X uel XI. annis citra predicans in lombardia inuenit et excogitauit nouum cultum seu nouum ritum colendi non domini neque ecclesie aut apostolice sedis auctoritate sed proprio sensu. Est autem hic cultus quod tabulam quandam in qua literis aureis depingit hoc nomen ihesus cum multa superstitione exhibuit populis adorandum non solum in lombardia sed etiam in pluribus alijs locis. Et hoc solebat facere in publica predicatione accensis cereis multis et mandabat toti populo ut in ostensione illius tabule omnes genuflecterent et deponerent capucia et hoc valde notorium est &c. Accusatur deinceps Tabellam suam ubique Cruci anteferre, dixisse, in voce Jesus contineri Patrem et Filium et S. Spiritum, majorem Tabellae suae cultum exhibere quam ipsi Hostiae consecratae, condidisse societatem Jesuariorum, qui alios prae se contemnant, nolle nomini Jesu addi Christum, constituisse sibi Discipulos pro numero Apostolorum et Evangelistarum, quos inter emineret Frater Matthaeus de Sicilia, et plura ejusmodi, inter quae singulare: In ianua quidam magnus hereticus et papa fratricellorum dampnatorum ab ecclesia et papa Jobanne XXII. combustus est, iam sunt circiter quatuor anni elapsi. Qui inter cetera confessus est quod bernbardinus predictus erat et est de secta et opinione ipsorum

2831

C O D I C E S

2832

et de opinione et heresi Hussitarum de qua sunt communiter omnes fratricelli. Et hoc haberi potest ex confessione et processu facto contra dictum hereticum qui est in Janua in curia inquisitoris Januen. et in curia domini episcopi. In fol. membraneo ad Cod. calcem purpura legitur: Maxime memorabile est in hoc libro quod in scripto contra S. Bernardinum testatur Fratricellos esse communiter Hussitas. Adjecit Hugo quondam Blotius: Est manus Illyrici; et re ipsa Matth. Flacius verba haec in suum Catalogum Test. Verit. edit. Basil. 1556. p. 853. retulit. Quemadmodum vero Articulus hic, ita et reliqui testimoniis fulciuntur. Atque hic inter Testes videas M. Bartholomaeum de Florentia O. P. Antonium de Roma O. P. memorari item Bernardini adversarios Ludovicum de Pisis O. P. Inquisitorem Bonon. et Praedicatorum Conventus Viterbiens. ut adeo vix a suspicione temperes, Scotismum et Thomismum in hanc quoque Controversiam influxisse. Delatam eam fuisse Romam ad Martinum V. a. 1427. narrat ad b. a. Waddingus cit. auctore praecipuo Manfredi quondam Vercellensi, cui fortasse non incongrue Articulus nostros tribuas. Eventum vide apud eund. Waddingum et Bollandistas cit. Superiorem discessisse Bernardinum vel Tabulae illae lapideae nomen Jesu praeferentes evincunt, quae hodieum Viennae supra fores aliquot aedium visuntur, ortumque non a Jesuitis Seculo integro posteriori-

bus, sed a carissimo Bernardini Discipulo et Sodali Job. Capistrano habent. Adversarii interea non auctoritate solum sed et ratione Nostrum aggressi sunt; sequitur enim in Codice

XVII. fol. 98. Dissertatio inscripta: Non minus peccat qui novam adoracionem siue novum cultum latræ in ecclesia absque auctoritate generalis ecclesie introducit, quam qui absque auctoritate ecclesiastica ecclesias consecrat Episcopos et sacerdotes ordinat &c. Autor Scripti hujus in Supposito, ut ajunt, errare videtur, vix enim credibile est, Bernardinum Tabellis suis cultum latræ depoposcisse. Interim nemo haec legerit, cui in mentem non veniat Quaestionis de Cultu Cordis Jesu non minori animorum motu, partiumque studio aevo nostro agitatae.

XVIII. fol. 104. Incipit questio per scripturas a Judeis receptas quod misterium christi sit impletum determinata per fratrem nicolaum de lira. Initium: Utrum ex scripturis a Judeis receptis possit efficaciter probari saluatorem nostrum fuisse deum et hominem &c. Exemplum multis emendationibus scatens. Opusculum passim ad calcem Postillarum Nicolai de Lyra ex Judaeo Franciscani et Parisiis a. 1340. defuncti obvium seorsim etiam Francof. 1601. 8. lucem vidit. Id unum sub triplici Titulo designat Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. L. XIII. p. 116. in eo etiam lapsus, quod Lyranum non ad XII. sed ad XIV. Judaeorum argumenta respondere adferit.

XIX.

2833

H O M I L E T I C I

2834

XIX. fol. 164. *Esopus*. Hoc titulo gaudent LX. illae *Fabulae* Distichis inclusae, quas post complures Sec. XV. Editiones, quarum *Brixiana* per *Bonin. de Boninis* 1489. 4. mihi objacet, repraesentavit in *Mythologia Aesopica* *Isaac. Nic. Neveletus* *Francof.* 1610. p. 486. 8. inscriptas *Anonymi Fabulae Aesopeae*, et

in quarum Autorem, aevumque erudite non minus, quam acute, ut solebat, inquisivit *Gottbold. Epbr. Lessingius* in *Symbolis liter. vernac. e Bibliotheca Guelpherbyt.* I. p. 45. et continuante *J. Joach. Eschenburgio* V. p. 45. quin tamen certi quidquam doctis Virorum curis responderet. Prooemium incipit:

*Vt juuet et profit conatur pagina presens
Dulcius arrident seria picta iocis &c.*

Et Fabula I. De Gallo et Iaspide.

*Dum rigido fodit ore finum dum queritat escam
Dum stupet inventa iaspide gallus ait &c.*

Exemplum nostrum multis locis retractatum est; saepe tamen infelicius, quam prima manus scripserat, nec Fabularum ordo semper cum *Neveletiano* conspirat. Fabulas binas, quae in *Cod.* quodam *Guelpherb.* LX. nostras excipiunt, quasque, quod *avendores*

crederet, *Eschenburgius Symbolis suprac.* p. 66. inseruit, habes in Edit. *Brixiana* memorata, quin *Tertia* ibi adjecta est *De pueris Ludentibus*, versu hexametro huiusmodi, quam huc adscribere operae pretium non est. Ad calcem Exempli nostri legas:

*Explicit Ezopus qui scripsit sit benedictus.
Finito libro sit laus et gloria christo.
Anno Domini M^o CCCC^o XXXIII.*

XX. fol. 194. Epitome *Decreti Gratiani* hoc initio: *Ad toxicus libri decretorum pleniorum intelligentiam nota valde utilem doctrinam infra scriptam. Liber de-*

cretorum distinctus est inter tres partes &c.

XXI. fol. 206. Epitome Ejusdem alia metrica.

*Sex iuris species monstrat distinctio prima
Atque quid humanum quid diuinumque vocetur &c.*

Diversa a Carminibus illis memorialibus, quae in multis Editionibus *Decreto* praefixa sunt.